



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. I. Vnde prima morborum scaturigo?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

# A P O T H E C A S P I R I T V A L I V M P H A R M A C O R V M.

## C A P. I.

*Vnde prima morborum scaturigo.*



Scræus Poëta quem Hesiodum vocant, quique dormiens repente se vatem factum somniauit, fingit pro more Poëtarum, Pandoram primam mulierem à Vulcano Iouis iussu fabricatam, quam singuli Dij donis suis ornaverunt. Pallas sapientiæ donum ei contulit, Venus formæ, Apollo musices, Mercurius eloquentiæ. atque inde dicta Pandora est, quasi omnium donum, vel quasi ab omnibus donata, vel omnium rerum genere dotata. hanc postea cum pyxide clausa missam fuisse tradunt ad Epimetheum (cùm humano generi malè cupiebat Iupiter ob Promethei audaciam, qui ignem è cælo furatus, ferulæ inclusum detulerat in terras) qui illâ receptâ & pyxide apertâ cui omne malorum genus inerat, terram morbis calamitatibusque repleuit. Sicque vt canit Poëta Lyricus:

*Post ignem Ætherea domo  
Subductum, macies & noua febrium  
Terris incubuit cohors,  
Semotique prius tarda necessitas  
Lethi corripuit gradum.*

*l. r. Carmina  
Oda 3a*

A . Com-

## A P O T H E C A

Commenta quidem hæc sunt delirantium Poëtarum & dormientis Hesioidi somnium. Verùm si rem altiùs inspiciamus, non omni omnino fundamento eam carere deprehendemus. Non pauci sunt qui plerasque Ouidianæ Metamorphosis fabulas ex malè intellecta Mosaica Genesi, aut ad eam facta allusione, originem sumpsisse volunt. nam veteres Poëtas libros Mosis subinde legisse patet exemplo Theodecti tragœdiarum scriptoris, qui cum nonnulla ex sacra Iudæorum Scriptura ad fabulas vellet transferre, temeritatem cæcitate luit. ipse etiam Pythagoras & Plato ad eò Mosis dogmata sunt sectati vt Numenius dixerit: Quid est Plato nisi Moses Atticus? sed vt vt sit, quo ad rei veritatem descendamus, per supra dictam Pandoram quam meliùs & veriùs intelligemus nisi primogeniam matrem nostram Euam, mulierum omnium primam, quæ cunctarum gratiarum donis perfectissimè à Deo fuit exornata; verùm calliditate serpentis decepta decipiensque vnà maritum qui tamquam alter Prometheus ignem diuinitatis è cælo furari conabatur, Deo scilicet æqualis esse ei que veluti suam gloriam subtrahere & ad homines deferre desiderans, malorum morborumque omnium causa suo peccato nobis exitit, & fatalem illam pyxidem toti humano generi adtulit. Communis siquidem & vera sanctorum Patrum sententia est, sacræ Scripturæ & Conciliorum definitionibus innixa, peccatum originale & mortis & qui ad hanc disponunt, morborum causam esse; causam inquam, vt Philosophi loquuntur, sine quâ non. Si enim Adam primogenius parens noster non peccasset, neque mortem neque morbos omnino vllos, homines experiremur. *Præcepitque (Deus scilicet Adamo) ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede: De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

Adam

Ioseph. &  
 Aristæas  
 lib. de 70.  
 interp.

Euseb. 1.9  
 de præp.  
 Euang.  
 c. 3.

Genes. 2.

Adam igitur mandatum transgrediens, mox quoad corpus, mortis necessitatem, quoad animam verò, actu & re ipsa mortem incurrit. Vnde patet mortem & ad eam disponentes morbos non esse homini naturales, sed pœnas peccati originalis; licet enim spectando naturam & primas qualitates cōtrarias ex quibus homo compositus est, & infirmari & tandem mori debuisset (quidquid enim ex mixtis contrariis compositum est, corruptibile est) nihilominus spectando Dei decretum, opem & conseruationem perpetuam, si non peccasset, non ægrotasset, non mortuus fuisset. Hinc Magister sententiarum docet in Paradiso hominem habuisse, posse non mori, quia scilicet poterat non peccare; in cœlo habiturum, non posse mori, quia ibi per gloriam & dotem impassibilitatis erit moriendi impossibilitas: in hac autem vita post lapsum habere, posse mori, & non posse non mori, quia iam in eo, & ex sententia Dei vindicis, & ex quatuor humorum corporalium contrarietate ac quasi vt in Repub. contrariantibus ciuium voluntatibus, intestino bello, moriendi est necessitas. vt rectè Sapiens vnicuique nostrum sepulcralem suam adsignet epigraphen: *Hoc est testamentum huius mundi, Morte morietur. Hoc meum, hoc tuum, hoc omnium Epitaphium: Et mortuus est.* Hinc itaque, ex peccato scilicet

*Macies & noua febrium*

*Terris incubuit cohors.*

Sed qui in pœnam peccati vindex illius morbos inmisit, remedia contra eosdem homini suggerere non omisit. *Altissimus enim de terra creauit medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. ideoque Honora medicum; propter necessitatem enim creauit eum Dominus. idcirco herbis, lapidibus aliisque rebus virtutes curatiuas indidit, vt pro morborum diuersitate eadem in antidotum*

vsurpemus. Porrò sicuti creatoris benignitas ex natura, infinita propemodum remedia homini providere dignata est: ita & pia mater nostra Ecclesia quàm plurima spiritualia antidota contra morbos ac potissimùm contra pestem (de quâ nobis sermo est) sollicitè instituit. Scit namque à Spiritu sancto edocta, pestem sæpenumerò ob delicta nostra à Deo nobis inmitti, proinde ad spiritualia amuleta recurrere nos admonet; vt ita conceptam diuinæ vltionis voluntatem hisce pijs operibus veluti suspendamus, Deo non semel quasi voci hominis obediente.

Et esto contingat quandoque eam ob peccata nostra non inmitti, sed ex causis naturalibus originem trahere (quamvis & his sæpissimè tamquam instrumentis vindictæ suæ Deus vti consueuerit) puta infectione aëris, intemperie corporis, abundantia vitiosi humoris, compugnantia quatuor primarum qualitatum, propter quæ omnia, immò singula, facile infirmitates contrahimus & secundùm Prophetam Iobum, breui viuimus tempore replemurque multis miserijs, & veloci cursori pertransenti que nauis, poma quæ facile erumpunt, maturescunt, decerpuntur, putrescunt & putescunt, portanti, ab eodem assimilamur: eiusmodi tamen bona opera & spiritualia exercitia, contra eandem sunt præsentissima remedia. *Nam corporalis exercitatio* (per quam accommodatitio sensu, nec omnino ineptè vt puto, corporalia medicamenta & exercitia intelligo) teste Apostolo, *ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.* propter opera siquidem pia quasi ob merita, mercedem promittit vitæ non tantùm præsentis incolumis, sed & futuræ. *Querite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia, inter quæ & sanitas & à morbis liberatio, adiicientur vobis.* non quòd velim corporalia remedia & naturalia

1. ad Timoth. 4.

lia medicamenta negligi, quæ sapientissimus Deus creaturarum conditor in usum sanitatis acquirendæ aut conseruandæ hominibus destinavit, vt iis & arte medicâ ad curandos morbos vteremur, sicut aliis artibus ad incommoda corporis depellenda vtimur. nequaquam hæc mea intentio est; vir prudens namque à Spiritu sancto nominatur qui non abhorret ab illis, id est, ea non negligit sed pro necessitate ijs vtitur, sicut nos docuit S. P. Augustinus, qui in infirmitate positus, ceteris exclusis, solum Medicum ad inspiciendum corpus admisit. non horruit illa S. Basilius aliique viri sancti qui virtutes curatiuas variis rebus in terra mariq; creatis inditas à Deo, spernere noluerunt, sed tamquam cætera Dei dona & beneficia cum gratitudine animi acceptarunt. In casu enim medicinam contemnere est Deum tentare, inquit I. Paludanus. Nec fauet respicientibus, ait, naturalia remedia quod B. Agatha dixit: Medicinam carnalẽ corpori meo numquam adhibui, sed habeo Dominum meum I E S V M Christum qui solo sermone suo restaurat vniuersa. respondet enim D. Thomas his verbis: B. Agatha experta erat erga se diuinam beneuolentiam, vt vel infirmitates non pateretur pro quibus corporali medicina indigeret, vel statim sentiret diuinæ sanationis effectum. Neque magis iuuant aut nobis obsunt illa D. Bernardi ad fratres de S. Anastasio verba: *Propterea minimè competit Religioni vestrae medicinas querere corporales, sed nec expedit saluti. nam de vilibus quidem herbis & que pauperes deceant, interdum aliquid sumere, tolerabile est; & hoc aliquando solet fieri. at verò species emere, medicos querere, accipere potiones, Religioni indecens est & contrarium puritati, maximèque Ordinis nostri nec honestati congruit nec puritati. hæc enim omnia gentes inquirunt Scimus autem qui in carne viuunt, Deo placere non possunt. Spiritualia proinde spiritualibus comparanda, & querenda potio humilitatis,*

Possides  
in vita.Officines  
Spir. c. 132. 2. 9. 97.  
a. 1.

Epist. 323

ad Rom. 8

Psal. 40. *Et clamandum in toto corde: Sana animam meam Domine, quia peccaui tibi.* haecenus quidem Bernardus, sed cuius verba ita accipienda puto ut verus Religiosus spiritu paupertatis tactus non quidem omnia corporalia medicamenta reiicere debeat, sed communibus & facile parabilibus contentus esse debeat. alia verò magno pretio comparanda non nimis auidè postulet. quæ si nihilominus offerantur, ex nimia pusillitate non respuat sed humiliter admittat. pauperes enim aliquando cibos deliciaiores à diuite oblatos cum gratiarum actione comedunt, & Religiosi etiam feruentes ne singulares aut nimium scrupulosi appareant, eosdem admittunt. ita Iacob Aluar. de Paz. Vnde non facile exprobrandum est Religiosis viris si subinde ex honesta & legitima causa lautioribus vescantur; id enim non est iniquum sed secundum ordinem rerum à Deo institutum. creauit namque creaturas ut seruirent pijs, non impijs; famulis, non hostibus. quocirca si panis, si oua, si vinum, si capones, si perdices loqui possent, clamarent; Comedant nos viri sancti, serui Dei nostri, non comedamur ab inimicis Domini nostri. Substantia nostra, caro nostra incorporetur sanctis ut in ijs ad gloriam resurgat, non peccatoribus, in quibus resurgeret ad gehennam. quæ enim creatura non malit esse in coelo & gloria, quam in inferno & igne? Hac de causa in fine mundi & maximè in die Iudicii omnes creaturæ quasi vindices creatoris sui insurgent, in impios eosque disperdent prout testatur Sapiens: *Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. ibunt directè emissiones fulguris, & tamquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur & à petrosa ira mittentur grandines & flumina concurrent duriter, contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti diindet illos.* Denique non sic medicinæ innitendum est ut neglecto Dei auxilio, pro sanitate consequenda bonis operibus

De vita  
 rel. instit.  
 l. 5. c. 13.

Sap. 7

bus & pijs exercitijs non simul incumbamus. aliàs verendū erit ne nobis idem exprobratur quod regi Afa exprobratū fuisse Scriptura cōmemorat: *Ægrotavit dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est, dormiuitque cum Patribus suis.* idè dictum: *Querite primū regnum Dei.* Vbi respectus & ordo ad posteriora insinuatur. Quò respiciens supremus Ecclesiæ Pastor Pius V. pium verè decretum edidit quò Medicus tenetur antequam doctoratus gradum accipiat aut facultatem medicandi, priùs coram notario & testibus iurare se statim ægrum de confessione peccatorum faciendā admoniturum, quam si ille ultra tertium diem differat, deinceps visitare ei interdictum est. quod tamen non ita crudè de quacumque infirmitate etiam leuiori intelligendum esse Doctores monent, sed de grauiori, periculosa & ad mortem proximius disponente, qualis in primis est omnis pestis atque ea quæ modò grassatur anomala & auonyma febris, lentè quidem adueniens verū breuissimo temporis spatio homines impotes mentis efficiens. Consultissimum nihilominus fuerit in omni infirmitate quàm primū commodè fieri poterit, Confessarium maturè aduocare vt peccata tua expies, itaque domui tuæ disponas; siquidem depositio tabernaculi nostri velox est. & verissimum illud prophetæ Iob: *Homo breuè viuens tempore, repletur multis miserijs: qui quasi flos egreditur & conteritur & fugit velut umbra.* Quid enim sunt nati homines in mundo nisi quidam flores in campo? Ecce quasi tot floribus quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne, flos in foeno est. vnde bene per Psalmistam dicitur: *Homo sicut fœnum dies eius, & sicut flos agri sic efflorebit.* Isaias quoque ait: *Omnis caro fœnum & omnis gloria eius sicut flos agri.* Homo enim more floris procedit ex occulto & subitò apparet in publico,

per

2. Paral.  
c. 56.

In bulla  
quæ inci-  
pit: Super  
gregem.

Iob. 14.

S. Greg.  
l. 11. Mo-  
ral. c. 261.



Psal. 89.

per mortem retrahitur ad occultum. carnis nos viriditas ostendit, sed ariditas pulueris ab aspectibus retrahit. quasi flos apparuimus qui non eramus. quasi flos arefcimus qui temporaliter apparebamus. *Manè, ait Psaltes, sicut herba transeat, manè floreat & transeat: vesperè decidat, induret & arefcatur.* rectè Poëta:

*Carpe novos flores dum flos nouus & noua pubes;*

*Et memor esto auum sic properare tuum.*

Tamquam enim podij folium es, ô homo, quod manè candidum, meridie purpureum, vesperè cæruleum aspicitur.

Herm:  
Hugo  
pior. de-  
bid. c. 13:  
l. 1.

*Nempe ita qui vitam modò ducere cœperit infans,*

*Dicetur moriens occubuisse senex.*

*Sic aliquis numerat celeres sibi flosculus hor. is,*

*Natali tumultant quem sua fata die.*

*Floscule manè puer, mediâ vir floscule, luce,*

*Floscule sub noctem, sole cadente, senex.*

*Sic orerisque, immò morerisque, ô floscule Phæbo*

*Vno fisque puer, virque, senexque die.*

Audi igitur & si sapis sæpiùs mecum rumina quisquis post hanc temporalem vitam, vitam speras æternam.

*O homo, ô homo, bulla, bulla, bulla es!*

## C A P. II.

*Non ex solo peccato originali sed ex varijs alijs causis morbos adeoque pestem proximè scaturire.*

**Q**Væ iam proximo capite de peccato originali ceu causa originariâ morborum dixi, eo sensu intelligi velim non quasi id causa sit propria & omnino proximè adæquata, sed tantummodo generalis & vt antè